



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Irregularitas ex defectu ætatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

32. Proles suscepta ex propria uxore post factam professionem, non est legitima, quia matrimonium fuit dissolutum per professionem. *ibid n. 9.*

33. Filius expositus, probabiliter præsumendus est illegitimus, quia in obscuris inspicitur quod verosimilius est. *ibid num 10.*

33. Quando pater factus est sacerdos de consensu, vel abque consensu suæ uxoris, sed postea uxorem carnaliter cognovit, ex eaque prolem suscepit, tunc proles inde suscepta censetur canonice illegitima & irregularis. *ibid n. 11.*

35. Illegitimus peccat mortaliter recipiendo ordines absque dispensatione, non tamen incurrit novam poenam. *ibid num. 12 & 13.*

36 Irregularitas proveniens ex illegimitate, tribus modis auferri potest, per legitimationem, sive hæc fiat beneficio juris Canonici, sive ab homine; per professionem, & per dispensationem, quæ non videtur posse concedi ab Episcopo, nisi ad minores ordines. *ibid n. 14.*

Irregularitas ex defectu ætatis.

37. Defectus legitimæ ætatis requisitæ ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat, vel donec Papa dispense. *ibid. punct. 4. n. 1.*

38. Defectus libertatis inducit irregularitatem in personis sequentibus, ita ut non admittantur ad ordines: in conjugatis, juxta v. *matrimonium*; in mancipiis omnino destitutis libertate: in obligatis ad ratiocinia, seu in iis qui obligati sunt ad reddendam rationem administrationis publicæ vel privatæ; secus dicendum de iis qui præstiterint securitatem solvendi debitum, aut curam pauperum susceperunt; in tabellionibus, Advocatis, & iudicibus qui causas civiles aut causas criminales agunt, si iudicium sanguinis exercuerunt. *ibid. num. 2. & seq.*

Irregularitas ex defectu sacramenti.

Vide v. *Bigamia.*

Irregularitas ex infamia.

39. Infamia est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.